



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1766**

**VD18 90118251**

§. 10. Petrus Medicus Archiepiscopus Moguntinus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

Sæcul. XIV.  
A.C. 1307.

*Thomass.*  
*disc. part. 4.*  
*c. 63.*

gi; bona & jura eorum dissipari; subjectos non inde fructus perhibitos, sed gratia damna spiritualia æque ac temporalia capere; ac timendum esse, ne mala majora in Romanam Ecclesiam ipsam redundent. Proinde omnes has administrationes quibuscunque viris, etiam Cardinalibus commissas reteximus ac infirmamus. Jam tunc itaque agnoscebantur illarum incommoda: & tamen ex illo tempore potissimum sunt multiplicatæ.

§. X.

*Petrus Medicus Archiepiscopus Moguntinus.*

*Trith. Chr.*  
*Span. 1304.*  
*1305.*

*MS. ap.*  
*Serr. p. 849.*

Conradus Epsteinius Archiepiscopus Moguntinus curriculum vitæ confecerat 26 Febr. 1304. Vacuam sedem tam editam Henricus Comes Luxemburgius Balduino fratri suo tum Parisiensis Athenæi discipulo exoptabat. Idcirco ad Papam misit medicum suum Petrum Achspaltium. Qui Pictavium delatus Clementi etiam tum ægro Comitis Domini sui votum exposuit. Sed abnuisit ille ob plures, quas memorabat, causas. Interea haud paulo gravius ægotantem Petrus artis suæ peritissimus tam bene tractavit, ut sanaret. Optime de se meritum Papa esse Præfulem Moguntinæ jubens cum diplomate pallioque remisit. Petrus

trus Trevis natus, scientia & virtute Sæcul. XIV.  
 pollens Clericus (tunc enim vix daban- A.C. 1307.  
 tur medici nisi in Clero) in studio legum  
 divinarum se multum exercuerat. Mo-  
 guntia a Clero & populo honorifice  
 exceptus, Ecclesie suae regimen tran-  
 quille adiit, & annis tredecim conti-  
 nuavit.

§. XI.

*Dietherus Nassovius Trevirensis  
 Archiepiscopus.*

Trevirensibus præerat Dietherus Nassovius Imperatoris Adolphi, frater ex Brover. to. 2.  
 Ordine Prædicatorum. Præerat autem p. 180.  
 non electus vel postulatus a Canoni- Trith. Chr.  
 cis, sed his obtrusus a Papa Bonifacio Span. an.  
 VIII ex odio Alberti Austriaei Romano-  
 rum Regis Adolphum insectati. Et ve-  
 ro Dietherus Alberto, semper obsistebat.  
 per spatium sui pontificatus cœpti anno  
 1299, & durantis annos octo circiter.  
 Erat vir inquietus ac bellicosus, cujus  
 mala agendi ratio Trevis odium com-  
 mune hominum conflavit. Confluentia Id. Chr. Hir-  
 cives, quos magnitudine tributorum pres- saug. 1305.  
 ferat, in se consurgentes ut subigeret,  
 collectis magno sumptu copiis urbem  
 obsidens ad suam victoris fidem con-  
 fugere coëgit. Per impensas hanc in  
 expeditionem factas exhausto ærario,